

nes eadem, idemque ornatus & com-  
positio transfundentur.

## LXXXI.

*Exem-*

*plum ex  
Plinio de-  
sumtum.*

Sit exempli loco periodus ex Plini panegyrico, quem Traiano dixit: bene ac sapienter, patres conscripti, maiores instituerunt, ut rerum agendarum, ita dicendi initium a precationibus capere: quod nihil rite, nihilque prouidenter homines sine deorum immortalium ope, consilio, honore auspicarentur. Duæ enunciationes periodorum demonstrant compositam, eamque bimembrem. quumque duo hæc membra beneficio coniunctionis cauſſalis quod cohæreant; periodus cauſſalis exſtat.

## LXXXII.

*Resolutio*

*huius pe-  
riodi.*

Huic periodo, redactis ad pauciora omnibus, hæc propositio cauſſalis in logicis respondebit: initium dicendi a precationibus capiendum est; quia homines nihil rite auspicantur sine honore deorum.

## LXXXIII.

*Chara-  
cter, for-  
ma & ma-  
teria.*

Statim heic particula respectiva quod protasis & apodosis inter ſe connectens, tamquam character simul & præcipua forma periodi ſe offert. Duæ enunciationes, quæ materia ſunt huius periodi & quæ in una continentur cauſ-